



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Augustæ Vindel., 1772**

Caput VII. De vana spe, & elatione fugienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](#)

nitur pax vera cordis, non autem  
eis serviendo.

Non est ergo Pax in corde homi-  
nis carnalis, non in homine exte-  
rioribus dedito, sed in fervido & spi-  
rituali.

C A P U T VII.

*De vana spe, & elatione fugienda.*

I. **V**anus est, qui spem suam po-  
nit in hominibus, aut in crea-  
turis.

Non te pudeat aliis servire, amo-  
re Jesu Christi: & pauperem in hoc  
seculo videri.

Non stes super te ipsum, sed in  
Deo spem tuam constitue.

Fac quod in te est, & Deus ade-  
rit bonae voluntati tuae.

Non confidas in tua scientia, vel  
astutia cujuscunque viventis; sed  
magis in Dei gratia, qui adjuvat hu-  
miles, & de se præfumentes humi-  
liat.

2. Ne glorieris in divitiis, si ad-  
funt;

18. *De Imitatione Christi*

sunt; nec in amicis, quia potentes sunt: sed in Deo, qui omnia præstat, & seipsum super omnia dare desiderat.

Non te extollas de magnitudine, vel pulchritudine corporis: quæ modica infirmitate corruptitur & defœdatur.

Non placeas tibi ipsi de habilitate, aut ingenio tuo: ne displiceas Deo, cuius est totum, quidquid boni naturaliter habueris.

3. Non te reputes aliis meliorem, ne forte coram Deo deterior habearis, qui scit, quid est in homine.

Non superbias de operibus bonis: quia aliter sunt judicia Dei, quam hominum; cui sæpe displicet, quod hominibus placet.

Si aliquid boni habueris, crede de aliis meliora, ut humilitatem conserves.

Non nocet, si omnibus te supponas: nocet autem plurimum, si vel uni te præponas.

Ju-



Jugis pax cum humili: in corde  
autem superbi zelus & indignatio  
frequens.

C A P U T VIII.

*De cavenda nimia familiaritate.*

1. *Non omni homini reveles cor tuum:*  
sed cum sapiente, & timente  
Deum age causam tuam.

Cum juvenibus, & extraneis ra-  
rus esto.

Cum divitibus noli blandiri, &  
coram Magnatibus non libenter ap-  
pareas.

Cum humilibus & simplicibus, cum  
devotis & morigeratis sociare: &  
quæ ædificationis sunt, pertracta.

Non sis familiaris alicui mulieri:  
sed in communi omnes bonas mulie-  
res Deo commendā.

Soli Deo, & Angelis ejus opta  
familiaris esse, & hominum notitiam  
devita.

2. Charitas habenda est ad omnes,  
sed familiaritas non expedit.

Quan-

Ju-